
…obus Ludovicus
Joannis III. Regis Filius.

Kochnowski Melchioris: Regia tumba im-
mortalis praesidio vitae donata. —



REGIA TUMBA

Immortalis præſidiô Vitæ donata,

compoſitum in Vrnam

SCVTVM.

SERENISSIMO POLONIARVM PRINCIPI,

IACOBO, LVDOVICO,

SOBIESKI.

INVICTISSIMI OLIM

IOANNIS III.

REGIS, FILIO

IN SARCOPHAGO

Inſignis BASILICÆ COLLEGIATÆ ZOLKIEVIENSIS,

cum Auguſto Regalis Majeſtatis Splendore,

ERECTA,

SERENISSIMIS Virtutum & Clare-geſtorum lampadibus,

ILLVSTRATA,

ET AD

Iuſta Ejuſdem Parentalia,

uberimis SENATORII & Equeſtris Ordinis lacrymis,

ASPERSA.

Tãdem è voto Vniverſitatis Zamoſcenſis,

PER

M. MELCHIOREM KOCHNOWSKI

Philoſophiæ Doctorem, in Vniverſitate Rhcẽs ordinarium Profeſſorem, Contubernij Staringeliani Seniorem.

Incenſô laudis, & odore Gloriæ,

THURIFICATA.

Annô Domini 1743. Die verò 19 Mensîs Xbris

TYPIS VNIVERSITATIS ZAMOSCENSIS.





Hic Clypeus Votũ est, procul hinc Bellona recede *D. Ennodius.*

Qui Patriæ Tegmen, murus, & Arma fuit. *Theodulphus.*

Opposuit molem Clypei texitq; jacentem *Ovidius. 13. Met:*

A fatis Patriam: Clypeô jamfulgurat umbra: *Claudianus*

ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO
& CELSISSIMO PRINCIPI ac DNO,
D. MICHAELI, CASIMIRO,

RADZIWIŁŁ.

In Niewiesz, Ołyka, Kleck, Słuck, & Kopyl &c. &c.

DVCI.

In Mir, Szydłowiec, Kroże, & Biała,

COMITI.

PALATINO Trocēsi. & M. D. L. DVCI Exercituū, Człuchoviēsi Camenecēsi CAPITANEO, MECÆNATI & Protectori COLENDISSIMO.



REgum, Ducum, Principum, oriunda Studiô Zamoscana Lycæa, uti Superstitibus juratô stipendiaria feudô, ita post Cineres grata; suis Plasmatoribus esse invigilant. CELSISSIME ILLVSTRISSIME Dñe. Præstat sēper prælibatū magni beneficij non puteum sed pelagus, Romana gratitudine quāvis Cupressis coronare, quàm nulla ex æquo comprehensibile coronâ, pelasgâ tacitæ ingratitudinis arte, sine lauris exarescere. Hic nefandos inter langvores, Lingvarum Parens Vniversitas, elingvē induta Atym, fari ignara, ubi funeralium gnara, Vestris tantùm luget luctibûs, vestros congeminat gemitus, celebratq; Mortem, non Gentilitia. Vbi & Regina Tua Aquila, solem

intue-

intueri nata, umbram mortis contemplatur, ubi & Tubæ Tuæ nō læta trophæa, sed ferale Classicum personare audiuntur. Inexhausta lachrymarum abyssus, cui SERENISSIMVS PRINCEPS Ratem commisit salutis, vastus nobis Oceanus prosilit; per quē funereas devehere proras jubemur, immensaq; recte-factorum freta geniô tranare; nisi hoc munus ipsi sibi Dij reliquissent; dū Exemplar Vitæ PRINCIPIS ad sua raptârunt Laticlavia. Prosequendum TVBIS non planctu mortalitate tactum PRINCIPEM, quem veriùs exemptum immortalia facta enarrant, utpote Cui & SCVTVM Invictissimum cum præsidio adest, & quē Arbitra jaculorum AQVILA TVA à fulmine præservat fati, fecitq; Iovis Ministra, SERENISSIMVM Mensæ Deorum asside re, bibereq; ore Purpureo nectar. Non ultra ergo Cor tuum PRINCEPS CELSISSIME pennis lancinabit Academia suis, utpote quæ Numinis Tui CELSITVDINEM longissimô venerari ævô exambit. Nonnisi ex Lethæo lætum solatij Tui celeusma, ex luctuosa serenam metamorphosim transforment benigni Cælites, exoptat.

ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTISSIMÆ CELSITUDINI VESTRÆ

ACADEMIA Zamoscensis,

& Servus humilimus Author Operis.

REGIA TUMBA
COMPOSITUM IN URNAM
SCUTUM.

HIC

Turris Regum proſtrata decumbit,
Attendite Pauperum tabernæ æquo pulſandæ pede ?
ſcire nefas ô Homo !
Quem mihi, quem tibi finem Dij dederint,
Babylonios ne tentes numeros, cave?
O Iupiter: cur fluxo æthere vitam circumambis mortalem ?
ut ocyus quemq́; premat nox,
fabulæq́; Manes, & Domus exilis Plutonia:
horas perimis, veſpere fugas diem.
ô Nemeſis! ô duri arbitrij Minos!
Trauſis tantū editos Heroas flētibus, defunctos luſu plauſibili
funerantibus, demandandas non Sarmatis vitæ Dilectis.
Hinc exoſa, quòd doloſa:
Socrates carcere ſæpiꝰ frænas, in epotaq́ cicuta ebibis toxicatos
nec Diogenes crudô polypô enecare abſtines.
Oſſibûs compacta ſplendes, tanquam de genere Mundi,
ubi eſt amor proximi cautelam deferens?
Cave Æſchile ſcribēs, ne delapſa teſtudine preſſus collabar

Cave Sophocles? ne deglutitô uvæ acinô suffocatus intereas.
Efferata crebriùs Thracijs Euripides depascis Molossis,
ipsosq; Divinos Homeros fame absumis.
Cunctorumve mille figuris moliris vitam, & demoliris.
O implacabile Monstrum!
sola probãte Æschilo Deorũ muneribꝰ indigna,
Nullus sacrificat tibi, aut libat in Templis.
Nullam colis Aram, nullis concelebraris Hymnis,
Obnoxij præda sunt boves Armentorum, & pingvia pecora,
Et Tripodes acquiri possunt, et flavicoma capita.
At hominis anima ut redeat, nec prædâ nec tributô capi potest,
ubi semel emigraverit è vallo dentium.
O severa Tyrannide Arbitra!
Quousq; jejuna ossium crura cruore saginabis homicidij?
Quousq; insontem Orbem cum tuis perfidiæ semideis,
Radamantho, Æaco, Triptolæmo,
peremptoriè ad Tribunal Euribatum citabis?
O dure Libitina Miles!
Etiam per sacra equitare capita non desinis,
quæ audacia!
Curris per vetitũ nefas, proh dolor! ceu fervidis agitatus rotis,
quæ licentia?
ubiq; Latios fugas Hyppodromos truci decempedâ,
ubique Ahaiam & Elidem tenes,
quis furor? quæ invasio.
pugilesve animos exsangvi pugillô ad certamen proritas
quæ temeritas?
Quinimo
Indomita tui potestas tot Purpuratorum profligatis Genijs,
ut Triumphatrix evidentiùs refulgeret,
Regiô trophæô voluit coronari Diademate:
Quando SERE,

SERENISSIMVM PIGNVS
INVICTISSIMI POLONIARVM REGIS
IOANNIS III.
IACOBVM SOBIESCIVM
fatali laureavit Cupresso, abrepta Cidari.

Heu impudicæ Mortis audacem dexteram,
Quæ dirum ad Capuam speratura Annibalem
Non rosis, sed asperis instravit Sarcophagum SCUTIS,
O Pleiadum deplorandam cataractis falcem!
quam nec Parma, nec Arma, nec veruta, nec SCVTA hebetât.
Ad Phaleras & ancylia Mavors?
Fervidiori entheô move corpus bellicũ contra ossa putrida,
ultimum Gloriæ Tuæ Munimentum
in Vrnam abijt, Regio pectori TVMBA factum,
SCVTVM SOBIESCIORVM.

Ferte pares Aquilas Heroes, & pila,
Asylum interemptum vobis, Turris Achenæa.
Age Bellona pro Ægide tua:
Stringite vaginas Sauromatæ, cruentate:
Decus & Fiducia Vestra
hostiles munivit artus, Vestros denudavit, SCVTVM
SOBIESCIANVM.

Lugete Niobæo planctu Regna Propugnaculum Vestrum,
Plora pullatum Iovem Aquila,
Deflete Vrbes Præsidium invictissimum,
Lachryma popule Virtutum absolutissimam Ideam,
REGNI Sarmatici Coronatum PIGNVS,
Quod voraga fati ingluvies edaci corrosit dente.
Ast lentô dolore ejula Mater Lechia,
Cõtumax dolor terminari nescius, sede suâ ratione dimovet.

hôc ipsô deridendus, quod circa irrecuperabilia solicitus.

Etenim

Tempus te sanabit, quod communis est Medicus,
Quodsi liceret lugendo mederi malis,
Mortuosq; lachrymis revocare,
Aurum sanè vilius foret fletu.

Quippe: quis est REX etiam Philosophus?
ut appetitum ad formas pulveris, & vermium non dicat,
ab omni abstrahens materia.
Et his Natura principiũ motûs ad non esse,
& quietis intra cineres Mausoleos.
Et hi de privatione muti disputare in Sarcophago nō excepti.
Cadunt velut prostratæ Turres,
sed cum discrimine,
quòd majores appareãt, quàm cùm stetere.
Et quanquam prope trabeas ferale consequitur Sirma,
ne tamen crediderís, totum cedere morti, quod mortale est,
Occidit Sol, non tamen extingvitur.
Et SCVTA illæsa fatorũ evitant fulmen,
quibus nec portenta Maurorum jacula nocuere.
Superstes vivit fatuô non extinctus igne
SOBIESCIVS,
Quem SERENISSIMÆ CERÆ ecclipsari vetant.
Illæsus quiescit,
Quē invictissimũ SCVTVM, potẽtissimô armavit Præsidiô.
Immortali Virtutum & factorum stipatos satellitiô
SOBIESCIOS,
mori ne dixeris? labare ne credideris? extingui ne cogitaveris?
inexpiabile piaculum.
Quos abyssale Othomanorum Sidus,
tormentante exortum toties fulgore, non extinxit

Meothis

Meothis gelida non aquisit,
Aquilones, Noti, Vulturni, non agitaverunt,
Hunc ſangvinem Bellaciſsimum
Muſulmana Harpya ingurgitare,
Propontis Boſphorana, Pontuſq; haurire nequiverant,
LEONIBVS toxicum? VRSIS fel pulverulentum ſoporante,
Tu Polonia,
Memora à ſæculo ærumnarum ſentes?
quorum aculei morſibus viperinis tuas foderant latebras,
Nonne cum odore gloriæ ſemper roſarũ prægnantes ſenſiſti?
REGIVS CLIPEVS
quoties hoſtilibûs pululavit lauris.
REVOLVE AQVILA
Nubes, & ſiparia Viciſſitudinum, ab ævo
IOANNIS III.
quomodo molib⁹ admirãdis ſeſe volvẽtia, Phæbũ occulerãt Tibi;
Te amica Luce privatura,
Patrios Cælos Gradivà tẽpeſtate obrutura,
niſi reflexo SOBIESCIANI SCVTI fulgore pulſa,
Æolia petiiſſent antra.
Nonne Mavors
integer pene ab Aquilone furebat?
Infauſta Erynnis nec Herculeis vincendo lacertis molimine
preſſit Lechiam,
Proſerpinus tumulum aperuit fervor,
Laborantem extremis funeraturus.
Surrexit tamen,
ſaluti reſtituta priſtinæ, ſucceſſu ſane admirando,
cui ſub pondere cubanti
Sereniſsimus IOANNES III.

reten-

retentæ virtutem adhibuit Palmæ, ut levâsset verticem,
Halcionia, & optatam squallentis mali malaciam
Providus apportavit,
feralem segetem, quod infelicis soli interemerat sterilitas,
unius Mensis ubertate restituit.
Nefas est,
meminisse Orientis Hydræ fremitum,
Conjurata tot Gentium in mortem Patriam ejectamenta,
per quæ Liberrimi Greges
raptati catenis in servitutem, tonsi bipennibus:
AQVILÆ Nidus,
non uno ariete vineisque quassatus,
stagnantes cruore campi animas omnium extorserant.
inter vicina funera, & sandapilas Vrbium
totus sub pullato sirmate ploraverat Orbis.
Sed ecce
Cælitus delapsum Ancyle
intimô Pompilij cordis armamentariô recondendum,
succurrit semianimo Polono
IOANNES.
Tetendit in SCVTO Arcum
paravit vasa Mortis hostium in fortibus Balistis,
sagittas suas ardentes effecit,
& erexit cornu salutis Lechiæ,
dum conjuratam ferociam
catenas manibus, stapedes pedibus, catastas Liberis;
machinantem,
cuneis & cuniculis involutam bellicis,
dirâ internecione compescuit.
Et ecce Immortalitas?

Ecce

Ecce superstes vita immortalibus trophæis animata.

SCVTO SOBIESCIORVM?

QVOD: ut stratagemata pænitus fatalia tolleret, inijt & modò cum Morte prælia

In IACOBO PRINCIPE,

omnibus sublatâ Lachesi immortalitatem evicturum.

Cohibe itaq; cataractas dolorum Lechia.

Tragædos considera?

Mens enim oblita suorum & alienis demulsa malis cum voluptate prudentior etiam evadit.

Egenus pauperiorem se cognoscens Telephum fuisse, faciliùs paupertatem subit,

Qui morbum furiosum patitur, Alcmæonem contemplatur.

Lippiens alius, Isyphum cæcum speculatur.

Qui claudicat Philoctetem prospicit.

si Filius moritur, Niobe levat dolorem.

Aliena Heroum funera memores?

& sui ipsius infortunia minus tandem lugebis.

Quippe; crede Eurippidi.

Vivere est, quod nos vocamus mori.

Mors enim Vita,

ubi nulla salutem tristitia turbat.

ubi gaudium est malorum oblivione felix.

Neoptolemi disce desiderium?

O mors! utinam te nostri capere arbitrij esset ut te mihi sumerem omnium primo.

Iam satis o Vita durasti! desine tandem, mortua vinces.

Lugubri parentare lacryma oderis popule,

IACOBO SOBIESCIO.

Commisit ille truci fatorum Pelago Ratem vitæ securus certe,

Cui pectus ære triplici fusum,

Qui præcipites Affricos Aquilonibus certantes fugare

triſtes Hyadas cum rabie Noti convellere,
ſanè Regium fuerat.
nec modò infames ſcopulos, & lethæa freta
Cymba Ejus pertimuit.
Divum Illius Genus ſi exambis?
Coronatô Celſû Sangvine ſignaculû Pithagoræ ſatius teneat.
Nempe:
Phæbum quærere delirium eſt, & mania,
cum SERENISSIMVS luceat
Negotium Regalibus faceſſere geſtis; temeritas;
ubi manibus loquendum:
Vtpote,
Vaſtitas Plagarum Orbis, in plures diviſa Faſces, & faſtigia,
nequaquam capere magnitudinem poteſt
CLIPEI,
AVGVSTISSIMO NOMINI
SOBIESCIORVM:
adorato Gentibus,
in Principes, Monarchas, Cæſares, traducto,
Totius Peripheriæ Orbita in Coronam non ſufficit.
Europea Diademata,
Auſtriacæ, Sarmaticæ, Gothicæ, Purpuræ
velum Tymantis ſunt, quô nihil tegitur prorſus,
Tanto Sangvini,
Niſi propitij Dij per mortem Dibaphas & Murices eidem
Regni Cælorum provideret.
Ideam Genij inquiris
Ex IACOBO?
Pantheon eſt, Quô Diuos Indigetes Virtutum numerô clauſit.
Regiæ indolis PRINCEPS
cum Lorica mentis Natus, ceu in Officina Sicaniæ cuſus,
totus

totus ferreum Mulciberi Opus,
Encelados & Brontes galeâ pressurum!
verè Heros.
Nunquam in Capuam molleq; incidit Tibur,
nunquam ad cupedias Pacis,
& inertium cogitationum pulvinar descendere ratus.
Scilicet:
Scipio Patriæ expectatus
securus nunquam dormivit Ganimedes.
Præliante Invictissimo Parente,
Nec par Filius patitur infantem vaginam non torquet ii,
Quò graviùs vulnera Equitum hiant,
truncatæ manus avulsiq; Artus purpurâ prosiliunt,
aut Sariorum triplici Ostio ilia manant,
Combibit hæc tenerum Pectus,
Placidumq; exasperari in hostem seriò discit;
ut duriùs feriat.
Assidet Scævolis, præest Coclitibus,
accensumq; vulnera & sangvinem sitit.
Tyro Dexteritatis:
docuit Heroas audaciam Isocraticè sapere.
Plùs timeas dedecus quàm periculum,
Malis enim timendus est finis vitæ, bonis autē vitæ ignominia
Imprimis equidem operam des, ut tutus vivas:
quod si quando tibi contingat periclitari,
quære quomodo salutem Tibi parias, evadasq; bellum
cum honesta laude, non autem cum infamia.
Dum Generosissimô Nisu
IOANNE Patre
Hinc Gothos, hinc Bosphoranos,
hinc Orientem, hinc Septemtrionem, circumvolvente,
raro hybernare nunquam æstivare Domi studuit.
Tineas & ærugines Principum,

occupa;

occupatione grandi, forti pûgnæ ambitu, procul abigens,
Conclavia Tentorijs intulit,
abacum mapalibûs strenuus exclusit,
Animu n suum Gradivo testatus,
strepitu armorum, solers armamentaria instruit,
cū Parente in cōflatā nube Gygantonomachiā itur⁹ fulminē,
Cataphracto Achillis SCVTO tectus,
Palladianâ invicem Ægide humeros stipare nō sinit, inquiens.

si de bellis agitur;

Non arma tantùm, sed & Literæ trophæa erigunt:
Et Gradivus vix aliquid subinde potest,
Nisi in Consortium Pallas veniat.
Non excludunt se ijsdem confinijs Hæmus & Helicon:
Potest Mercurio pariter Sagum & Toga tradi:
Iam in alijs Regnis Numina hæc Coloniam fixere,
Et ad Polonos non respiciant?
Bene: si Mars donat Rhodopen, sed itidem non malè:
si Phæbus largitur Amiclas, & Delos,
Clarioſq; lares.

Hinc Lituum & Literarum Alumno PRINCIPI
Experientia in Magistram se devovet.

Nempe:

Archiprædo Regnorum & inexplebile spoliorum Orbis
Archivum Turca,
peractô tribûs retro sæculis ferali Proscænio,
novam exorditur Catastrophen,
Mysteria Fidei Christianæ perfidus ut eludat.

Hanc immortalis argumenti scænam;
Celeberrimis toto Orbe Strategis Cælum detulit,

IOANNI III.
Ejusq; Columini
IACOBO.

Qui ingeniosô drammate ceu Anchorâ

Na-

Navim Reipublicæ Fidei donis bene onerariam,
ex in eluctabili Ethnicarum undarum Pelago exportarent,
Cogitur in Nubes Orientis Hemiſphæriū,
Micat, fulgurat, Marte Othomanicô, Lunâ cornibûs
erectis ſuperbiente.
Mox Fulmen Patrij Cæli non patitur Nubem
IACOBVS,
ignitum fortiùs Patriæ amore, etiam Prætextam non tolerat;
niſi frigidiore Clypeo temperandum.
Adſtitit invictiſsimo Genitori
non minor Filius, ſub VIENNA.
armatis in pugnam Celetiſontibus DVCTOR,
eo Ætatis flore,
quô coætanei Principes vix ludionū agmina miſcere noverūt?
Et nec tantummodo luſu pilorum palpebram recreare auſus
Heros Iuvenis,
ſed pars magna geſtorum fieri non expavit,
erudiens:
Quòd quamvis Cyclopum habeat magnitudinem & robur,
& currendo Thracium vincat Aquilonem, & formâ ſit ipſô
Tythonô elegantior, atq; locupletior, quàm Midas aut
Cyniras Reges: Neq; ſi Tantalidem Pelopem, Regnô vincat.
non Vir bonus exiſtit in bello,
ſi non ſuſtineat cædem videre cruentam, & propius
hoſtes ſtare cupiat.
Oſtendit PRINCEPS
uniones inter fluctus enaſci,
dum inter diſcriminum procellas, excellentiam Regiæ indolis
probandam commiſit.
Docuit Regias Aquilas,
in arduis omnino debere nidificare,
dum non degener Sarmatiæ ALES intra ferociſſimos
Barbarorum ſentes, & aculeos.

Mavortis torô lassari non erubuit,
Audax omnia perpeti,
Invigilavit Paternis vestigijs, incubuit, & institit,
crebrò vastos Olympi fluctus, crebrius inimicos imbres
bibit tenerior Regum Palmes.
Plusquam strenuus Agamemnon:
In conflato ex populis Gradivi æquore, Ratem appendit:
Luctantem Boream, procaces Austros, sonorum Eurum,
nimbosum Oriona, pro pace Christiana experturus.
Dexterior Æneas
per cæca vada & invia saxa, sonantesq; globis scopulos,
depelli non formidavit,
servi formam induere, Principis abijcere paratus,
donec secundam Tabulam naufragæ fidei
porrexisset.
O stupendum teneritudine Bellatorem!
Major copia Argumenti, quàm ingenij ebullit.
Verùm
Heroas nemo meliùs loqui potest,
quàm hostis triumphatus, deductaq; in Palmare Classicum
Victoria.
Ergo magnanimus Princeps
vix Centauros & Lapithas Odrysiæ aggreditur Lunæ,
tot Laureas nanciscitur VICTOR,
quot nec Sparthæ Eurotheæ licuit admirari.
Retorsit vela in Patriam cinctus adoreis Xerxes
cum IOANNE.
SALVATOR à Vienna adoratus,
Propugnaculum Fidei Christianæ à Polonis salutatus,
Et vix primis amplexibûs
SERENISSIMÆ POLONIARUM REGINÆ
MARIÆ CASIMIRÆ
Augustæ Genitrici suæ, (cla-

claritudinem operum suorum, & triumphi explicuit,
vix SERENISSIMIS PRINCIPIBVS,
ALEXANDRO, CONSTANTINO,
Fratribus suis dilectissimis.
Majestatem & tempestatem exposuit bellicæ Gentis,
Senaculis Certantium seriem retulit,
Encomiastis factorum synopsim, Patriæq; plausum reliquit.
eodem amictus sagô, eâ accinctus potentiâ
cucurrit demum per PODOLIAM.
Excitatô jam ad victorias entheô contra armatum vindicijs
Orientē, ab altera Regni fronte robur opposuit, & SCVTVM,
cæcam Scytharum aciem, æstum Ponti fervidum,
fatuamq; & nulli frænandam habænæ rabiem
admirandâ contrivit strage,
ut tota Cymbria, totus Asiæ Mavors triumphatus,
ingemuisse antrô cogeretur.
Et hæc vigebat in tenero IACOBO Dexteritas.
Verè PRINCEPS
non ab incude Danao, aut Vulcania illa:
ubi Steropes tremendorū fictiliū Authores gignebant ideas,
à Genijs extorquentes exempla,
cum ipsa non darentur.
PRINCEPS non illius Thalami,
ubi cura multorum anhelat alendi ingenia inepta,
provocandi talentis,
ut Semideos faciat, asseratq; Magnatibus,
Orbem puerum, & ignavum putans:
quasi Iovis Hammonij Filios ex Olympiade tantùm
Anchisiadas nonnisi ex Idalia prodire nesciat.
PRINCEPS ad paradigma compositus;
Non juxta stateram laudantium, famam attolentium,
pugillumve metientis,
Sed insiti vigoris celsitudine maximus,

D Meri-

Meritis exemplisq; genuinus,
Rerum supra captum ingenij plenus.
Trabeam Purpuramq, suam non solâ Majestate tueri,
sed etiam factorum Virtutũq; agmine conat9 est obvallare,
Decebat proinde,
Serenissimum PRINCIPIS Verticem
justum Lechiæ ut cinxisset Stephanoma,
Quem animus genuit ad Trabeas,
Virtus calculis meritorum electum commendavit.
Decebat tam consumatam Virtutem
in supremo Regni solio maturuisse,
ut pro Philippo excubâsset Scipio vigilantior.
Cujus Audacia,
Portus & Anchora status,
Cujus Animus,
tam maturus in Consilijs, quàm providus in eventis;
veritatis inconcussus Vindex;
Malorum non intempestivus Aversor,
qualem Cives, qualem optabat Majestas.
Hunc Regiæ Indolis Fomitem
Prudens, & futuri auspex cognitio decorabat,
Prospectæ temporum cum rebus series comitatæ,
Fides in Patriam
altis recondita fimbris custodivit.
Tantum ergo PRINCIPEM
uti ponderis & Dignitatis plenum Idioma,
Nutritam solicitis conatibûs & titulis Dignationem,
celsis nonnisi Dijs præesse, & Satrapis,
Regnareq; juvabat.
Cæterum
Pulchriùs exemplô morum eminere quàm Fascibus.
Ingen.

Ingenti animo esse libet, absq; ingentibus fastigijs.
Quando quidem tenere excelsa & vecors potest;
Qui illa generosè contemnat, nonnisi magnæ indolis capax.
Itaque sprevit cupidum Regnandi tastum
IACOBVS PRINCEPS.
morum Rex, non Honorum,
Virtutum Dominus, non ambitûs.
Pedisequos DEI Comites, non scelerum fomites
imitatus vixerat.
Nec enim tanta Regnantium serenitas,
Vt præ fulgore, maculas advertere in se non possint.
Male de summis Apicibus creditur,
Qui infra Majestatem habeant, submitti.
Non unum adhuc in his Culminibus invenias Theodosium,
Qui ad Ambrosij procidat pedes.
Capax cujusvis Officij animus PRINCIPIS:
etiam sine Magistratu Phæbô SERENISSIMVS.
Indoles monstrat Virum, non Fasces,
Rex natus, Coronas non quærit Coronæ
Imago Religionis?
Salutis supernæ curas, solicitudine odit præpedire rerum,
Solijq; squallente fastigiô.
Nimirum
Licet dulce; arduum tamen est, eminendi onus
Nullus in Diademate creditur Vnio: qui sudor non sit,
Mille negotia urgent Imperantibus caput,
Vt Cælum suas Nubes habet, ita & Regum fælicitas,
Montes excelsi eò magis fulminibus patent, accedunt quò pro-
Sol cùm maximè Serenus est: urit, (*pius.*
Habet suum fumum & flamma,
Non hyems tantùm, sed & æstas tempestates sentit;
Satis splendoris à virtute huic PRINCIPI fuit;
& ideo

 Fulgo-

Fulgores Honorum Phænomena censuit, non Lumen;
Quibus magis vel Præcones cladis agere, vel inquietare ima,
concessit Naturæ pingvedo.
Exemplar Subditorum:
immortalis vitæ scrutans arcana ignescere visus,
ut ardens Carbunculus annulo Regis Gloriæ insereretur
Fructus IOANNIS III,
Gratia IACOBVS.
Omnis à Clero probitatis exactor; timeri meruit, & amari.
Vultûs Majestate affabilis, oris blanditiâ suavis,
& Rigori Clemens, & sceleri Iustus,
Eloquij prodigium, stupor audientium,
libenter auditus; quia omnis in ipso locuta suada:
libenter visus; quia ipsa spectata virtus.
Oceanus Gratiarum, Nilus Munificentiæ,
mille non septem ostijs manans in pupillos;
ex cujus Ærario fluidissimo
tot gēmæ Sacrarijs, tot uniones Coronæ Cælestis Indigetes,
Altaribus dimanarunt.
Quinimo non nescius
quòd ut herbæ nutriuntur imbre, alimentô corpora;
sic Martiales animi Magnatum favoribûs.
Vt alijs munificum semper; ita & Viris Militiæ providum
se se offerebat.
Parata hinc Regno felicitas, dum prompta Bellatoribus præmia:
Nam audent omnes strenuè facere, quando nemo frustra.
Ad ignobile metallum langvet bellica virtus.
Si aurum objicias, excitatur statim.
Ita sanè:
Nunquam PRINCIPI huic præterijt dies,
quâ manum non inaurâsset ad egenos.
Nesciunt quippe contractam manum,
qui dilatata habent spatia charitatis,
obstacula non novit Liberalitas,
Benefici Nili æmula. Etiam

Etiamsi volueris compescere, magis exundat.
Innata beneficentia, aliqua quodammodo famula est,
Expressa imperia non expectat, nutum adhuc praevertit.

Ita sanè:

Vixit Titus, sepultus Numa

PRINCEPS SOBIESCIVS,

Et vix vitam clausit, totum Ecclesijs aperuit Thesaurum,

Vt noscerent Beneficiarij omnes,

Et ad sepulchralem arenam pullulare posse gratitudinis herbam.

Quis annuet?

piacularibûs detineri flammîs IACOBVM,
qui pretioso imbre easdem restingvere curavit in vitâ.

Quis negabit?

Triumphali ad Cæleste Capitolium curru evectum Regnare,
Quem sibi tot aurei metalli rotis instruxit,
obryziq; adaptavit fulcrum,
ne ad speciosam Cœli Portam cespitaret.
Mori demum noluit PRINCEPS POTENTISSIMVS;
nisi priùs captivam in triumpho mortem duceret,
Tumulum sibi é cumulis virtutum poneret.
Nam frustra marmoribûs fama quaeritur,
quam moribûs mereri non libuit
In ignominiam vergit extinctorum cinerum solemnitas,
qui tenuem boni Nominis ignem fovent
Modica à Cupresso laurus,
Dum laurum vita non porrexit.

Ad extremum:
Emensuratis Mavortio pulvere, factorum & meritorum numerò
Annîs fere sexdenîs quinque,

SERENISSIMVS SOBIESCIVS,

Compositum in Vrnam SCVTVM amplexus,
Quem uti genuit ita illi factum,

REGIA TVMBA.



ORATIO
AB AVTHORE AD TVMBAM DICTA.

O Vtinã mihi atomo ferali primũ obtigiſſet incinerari Olympo! quàm in proſtratam Regum entheô levari molem; Vtinã Academico ſurculo Proſerpina eveni palà viciſſitudo dediſſet fati, donec in parentantem pullulâſſem Mercurium, perſonâſſemq́; extremum REGIÆ TVMBÆ vale, cum ultimo ſalve. AA. MM. Salvete igitur Cineres SERENISSIMI? non Chiorum mortario combuſtum, & contuſum mandandi, non Auſtrorum flabellô abolendi, magnalibûs celebrandi Aris; quorum exuviæ amoris Lechici focô ſine fuco ſcintillantes, donârunt Mauſoleô Arthemiſiam ſuam Poloniam, ut ſaltem locus ubi Troja viguit, & brevis favillæ pugillus ſpectaretur. Salve MAIESTAS INVICTISSIMA, non Taxillorum, Parthorum, Hircanorũ more, Vulturibus inhumanda: Cui Iberia noſtra tot Obeliſcos apponere, quot Scythas, Alemanos, Boryſthenidas proſtrâſti SCVTO, tenetur gratitudinis. Salve FILI REGIS exubet, Cujus magnitudo non pro Arabica laboravit ſepultura, ubi Regum & ſummorum Ducum cadavera incultiſſimâ ſtercorantur tellure, ſed Pancbiorum evicit ſibi inferias, ut inaurato Capite Altaribus dicaretur; dum tot geſſit pro Patria, ut SALVATOR à VIENNA coleretur. Salve Buſtum PRINCIPIS plùs quâm Megarenſis Coræbi tumulus, ubi non una Oleaſter, ſed millenæ triumphorum oleæ ſuſpenſæ, adhuc arma intra corticem recondunt, quas ſi incideris, protinus ocreas, galeas, & SCVTA in Præſidium parerent Sauromatis. Salve PVRPVRA tineis, & æruginі damnata, morte expalleſcens, quæ toties Gothico ſangvine rubuiſti,

buisti. Salve SCVTVM toties hostibus in Vrnam compositum, jammodo Regio humero TVMBA factum. Salve, an potius vale CELSITVDO SERENISSIMA, Cujus Thronus de Cupresso Sandapila, Cujus peristroma funestum in Pegmate Sirma, Cujus Sceptrum Crucifixus dexteræ. Vale Druse Pompei plùs quàm Cæsaris Claudij, quia *JOANNIS III.* NEPOS, qui non jam pyrô, sed Regali ludens Pomô, jactum in sublime excepisti ore ita, ut altô petitum gutture spiritus Tibi excluderet vitæ. Vale verior Tarquini Prisce, cui Regalibûs fruenti dapibûs, pro piscino osse os mortis rigidum, invalidavit palatum, ut animam evomere deberes. Vale inquam ultimò Lorica Gentium Vagina triumphorum, Elixir Principum; ultima *SOBIESCIORVM* Cortina. Cujus prodigiosa opera plus ultra ad æternæ Gloriæ Colossos Immortalitas provocavit, orbatamq; Patriam semivivam reliquit, ut fari debeam: Compositum in Vrnam SCVTVM SOBIESCIANVM, *PRINCIPI JACOBO* TVMBA immortalitatis est; at Lechico solo perennis jacturæ Mausoleum, Mortuusq; Princeps immortalitate virtutum vivit Clypeatus, nos quoq; omnes vivimus mortui sine Scuto. Dabitis fidem Proposito AA. nisi benevolas aures negaveritis, quas supplex imploro.

Plora Rachel Polonia tantum Filium, non tam luctus, quàm torrentes fluctus effunde, ubi immensum Dolorum mare stagna lachrymarum extorquet. Plorate, ululate Status, Curules, Senacula, Ordines, turgete lachrymis: fata *SOBIESCII* mors Communis, in quo uno vorax Proserpina in voraginem rapuit cuncta solatia. Eheu Pupilla Lechiæ superciliis eruta, tristiq; defluxit cum flumine lumen. Eheu Spes labefactata, Fortitudo concussa, Præsidium comminutum, extremum Antemurale fractum, dum ultimum INVICTISSIMORVM *SOBIESCIORVM* Scutum, quod extremis tantùm servabatur ærumnis ablatum, quô dum nos rabies spoliavit Parcarum, quid restat? nisi ut nos pisciculos nudos, Teutones, Burgundiones, in saginam capiant belli, paratosq; ad necem Pontus absorbeat Scythæ. Et ecce mors parata sine Scuto à tergo, ecce vivimus morituri! Equi-

dem ubi sunt plures SCVTARII? ubi stratagemata? ub Celetisontes? *JOANNI* III. olim à corde feudatarij, atq; cum *CASIMIRO* contra Tartaros, cum *MICHAELE REGIBUS*, contra Bosphoranos luctanti; Soli verò contra Othomanos ad Austriacam VIENNAM insultanti, stipendiarij, ubi sunt illi Hussari armorum eminentes fulgore? procerioribûs equîs conspiciendi: apud quos capite galea, ferreus pectore thorax, ab humero Leopardi, aut Tigridis exuviæ ferebantur, ipsô ferarum indumentô terribiles. Vbi illæ Cataphractorum Lanceariorum Turmæ? quibus decempes in manu hasta, trigonali cuspide minax lateri acinax, sonipedi prolixior ensis, dandis sive cæsim, sive punctim vulneribus adhærebat, sclopô, bõbardâ hostibus truculentissimæ. Omnia hæc sensim Mars, sensim Mors sibi victimavit: & neq; abyssalem explevit ingluviem, dum reliquâ *SOBIESCIORUM* PANOPLIA Lechiam destituit, ut ocyus nuda in Scomma Gentibus, Aphorismos Crisi, Sarcasmos Orbi protruderetur, vitamq; bellacissima sine armis, sine Scuto finiret; Pyrrhæ sæculo & novis monstrorum quæstibûs deploranda. Et repeto: nonne vivimus mortui sine SCVTO? O mors scelera-tissimum Genus! quousq; abuteris doloribûs nostrîs! ô populatrix! ô Carnifex, ô Violatrix! ô Raptatrix!. O furis indoles! latronum sangvis, Tyrannorum pignus, sicariorum filia, feris ferocior, Leopardô crudelior, Tygride truculentior, Vrsô asperior, omniumq; pessima Bellua! utinam te sangvis & lachrymæ insontes primò mactâssent putridam, antequam cogitâsse cœperas, quomodo hunc Polonum TVRNVM peremptura esses, abreptôq; SCVTO, violatô Præsidiô, raptatâ primâ custodiâ, tandem inerme omnium Nostrûm agmen faciliùs invasura. Sed absit à me hæc cavillatio; non enim fata solùm volunt, verùm & Scriptura docet, Orbis quòd totus victima mortis erit; Nemo immortalia speret, monet annus & almum, quæ rapit hora diem. Et quanquam hic pro clade SOBIESCIANI SCVTI Prothogenem contra fata agerem, vincla Pyrrithoo data ab inferis animum meum vetant, & constringunt. Danaicus utiq; Tethidis Heros, mors & lethæus ignis Trojæ extiterat, attamen fatorum cohibitus arcu, Cæterîs major morti miles impar, Dardanidæ Vrbi

palam

palàm gravis heū nefas heu! nescios fari pueros Achivis ussit flammis cæterum dolò maleferiatos perimens Troas, & ipse ceu icta ferrò pinus procidit latè, posuitq; collum in pulvere Teucro. Quippe: Omnes ex æquo obnoxij morti; omnib9 non vitam pati fatale est: Omnia perveniunt ad unam voraginem diram. Verumtamen si Aristarchos, Sotades, Neoptolemos revolvas, mortem mortalium sortem & stipendiū disces: fata, gloriæ effata, tumulos, solatiorum cumulos, Vrnas, non ærumnas, sed Domos eburnas, voluptati socias. Nihilominus exclusit labens sæculum Trophonios, interemit Agamedes: quibus post opificium Delphici Fani gratum ab Apolline salarium: septimo die mori. Nondum geniti Cleobes & Bitones, qui Genitricem suam Cydippen, svave humeris jugum deferentes Sacrario; erogata à Iunone mercede, fatô nempe satisfacti, in Templo extemplò vitam effunderent. Vniversis Orestes blanditie verborum dulcoravit auras: O splendidum æther & pura lux diei! quàm svavis aspectus vester: insanit, qui optat mori, male vivere præstat: quàm bene mori. Et hinc luxuries vitæ buccellas epulata mamonæ, nauseat cibum Gloriæ, fletuq; saltim implacabilem emolliens Minoem, cum minis nequeat, Achates amicis, Consortes Socijs, Fratres Nepotibus ad deplorandum relinquit. Sed si sanè solus est miseris mortalibus honor, Tonderi comam, & effundere lachrymas genîs. Hîc fluvius, hîc mare, hîc Oceanus dolorum bibendus, ubi tota cum *SOBIESCIO* exhausta solatia, tota cum SCVTO abrepta securitas, tota, quæq; Europæus Signifer selectiora tenuit, & suspexit, in PRINCIPE SERENISSIMO *JACOBO* sepulta secernim9, solamq; mortem in olla coquimus viventes, absynthiacîs conditam aromatibûs; O utinam nos omnes sceleratus Lacheseos, rigor una tecū captivâsset *REGUM* Inclyte SANGVIS *JACOBE*! Vtinam nostrîs sua Numina animabûs placâsset, Tuæ indulgendo saluti! Non enim stamina nostra tutæ se concredere vitæ poterunt, dum Columine Regni, Monumentô gloriæ, Propugnaculô Fidei, Asylô Statûs, Turri Poloniarum Achenæa ultimô SOBIESCIORVM SCVTO privata, nos inermes occupant. Iam jam ea intervalla ducimus sine Sobiescianis CLYPEIS, quibûs in medio Tyburis Sardiniam

colimus, nulla ſalus populi, undiq; noſtris cuſtodijs invigilant mala, antequàm ſvave Morphæi excutiamus jugum. Quinimo cavendum! ne priùs quàm ex Materno levemur ſinu, nefaſta jam ſuſpensô gradu adſtet Libitinæ cohors, non ſervire nobis, ſed crudeliùs ſævire parata, ubi nulla præſidia ad reprimendum comparata. Verè ingens doloris leſſus, laſsis volvendus medullis: maximæ næniæ, quia à Maximis exortæ SOBIESCIIS, ſine quorum armamentario vivimus mortui, captivi, & damnati barbaris Gentibus. Sine quorũ ſplendore umbras inhabitamus mortis. Deſijt enim jam lucere ille ultimus Phæbus Patrio Cælo, quô Ales Lechicus ſuam erudierat pupillam, ad bene videndos ignes bellicos, & transverberandos ictu oculorum Othomanicæ Lunæ fulgores. Extinctus Planeta Sereniſſimus, qui majore lumine Sarmatis alluxerat, quàm a Cæris Majorum ſuxerat, minutiorave illuſtrans Sidera, velut inter ignes Luna minores reſplenduit. Luxit, quia hinc Togæ Lumen, Sago fulmen illuxit, luxit SERENISSIMVS, dum ab Illo illuſtris Eccleſiæ ſplendor, ſtabilis Patriæ ſecuritas, intaminata Regibus dignitas, fulminans hoſtibus terror, Togata Civibus conſervatio, zeloſa Iuſtitiæ vindicta, ſeria Æquitatis propagatio, ſumma Eruditionis ſumma, indefeſſa Militiæ diſciplina, reſeratum ſolertibus laboris Honoriſq; Templum, egregia probis honeſtas, dirum improbis ſupplicium, terrifica hæreſi combuſtio, expedita Virtuoſis promotio, aculeata flagitioſis repreſſio, tempeſtivum pacificis tutamen, patrocinans oppreſſis levamen, promerita humilibus provectio, ſubitanea arrogantibus jactura, mitis egenis commiſeratio, charitativum nudis paludamentum, diſcreta fragilibus conniventia, medens langventibus antidotum, uberrimis laticibûs profluxit, ut utriuſq; Fori ſonantiã omnis Generis Legum exempla nova, in Principe Clementiſſimo populus miraretur. Hæc beneficia nonne animam Lechiæ diceris? quæ dum à nobis per fata translata, iam ergo omnes mortui vivimus indies perituri. Quidni Heraclitandum, plorandum, ululandum, ubi deſerti, amunitione SCVTI orbati, in dapes Voragini Gentium expoſiti, nutamus pupilli. Sed adhuc fortunatâ paſcaris aleâ Gens ſauromatum bellaciſſima, Providus enim Pater Patriæ *PRIN-*

CEPS

CEPS SOBIESCIUS dum se avulsum Theodosium ab illa abstrahit, plures Familiæ suæ Stylicones ei relinquit, ut qua ipse, Regum Propugnator, Christiani Imperij Vindex avaris faucibus excubantis ad Teutonicam Hesperiam eripuit Draconis, hanc derivatus Invictissimorum Cognatorum Sangvis rubore fatorum suffundi non permitteret. Transferte, vos ad Gentes Sarmatæ, nulla Corona ibi, cui de Sangvine SOBIESCIORVM non adijciatur Hæmatites, nulli Fasces, quibus dextera non adhæreat SCVTO alligata. Tota Austria, Gallia, Anglia, Rhenum, Neuburgum, Bavaria, Totus deniq; quatuor Partium Orbis Splendor, SERENISSIMO *SOBIESCIORVM* commixtus Lumini. Quid si Rhetorico colore, Cæsaris moderni *CAROLI* VII. Cæsariem & Ideam vobis depingam, nonne *SOBIESCIANUS* THALAMVS Eundem peperit, *THERESSIA* nempe defuncti *PRINCIPIS SOROR?* Hinc ad Romanorum Imperatores, *LEOPOLDUM*, Imum *IOSEPHUM* Imum, *CAROLUM* VI, traducta Linea, totam Orbis ambivit Circumferentiam, ut nonnisi de semine *SOBIESCIANO* Genesim modernam DEI propagatam censeres. Sed absit abyssalem Augustissimi Nominis exili mentis bolide ad fundum explorare profunditatem, ubi faciliùs est Baltici & Euxini littoris numerare arenas, quàm omnibus absolutas numeris SOBIESCIORVM Geneses, Oratorium adcalculum revocare. Quas nisi æternitatis circin'recte dimetiri sciat, PorphirijScala earũ altitudinem non pertinget, immortalitate cum sint terminatæ. Resorbeo antecacta: Quinimo ipsum immortale SCVTI GERMEN IACOBVS SOBIESCIVS, quanquam Sidera tetigisse vertice videatur, mori tamen illi non contigisse credite. Immortalitas quippe regnabit in Domo IACOB in æternum, & Regni ejus non erit finis. Hic est IACOB, Cujus pectori mansiones Virtutum multæ, *Cujus semen tanquam pulvis* terræ, & juxta assensum Dei. (*dilataberis ad Orientem, Occidentem, Septemtrionem, Meridiem, & benedicentur in Te & in semine Tuo cunctæ Tribus terræ*) dilatatus & benedictus perennat. Hic est IACOB: qui tanquam Fluvius à vastissimo Virtutum Mari, *MARIA* nempe *CASIMIRA* Heroinâ Marchionum de *ARQUIAN* productus, non tantum ple-

nitudinem terræ cum *HEDVIGE ELISABETHA* PRINCIPE ELECTORALI NEVBVRGENSI Conjuge dilectissima, in Germine suo *CAROLINA* de BOVILLON fertilissime replevit, sed etiam & Eridanum locupletavit Cæleste, Cohortem Civium Supernorum adauxit, dum secundum Pignus suũ *CLEMENTINAM* ANGLIÆ *REGINAM*, Clementibus associavit DIVIS, quam, præter famam in Spe Beatitudinis recensentem, ipsa jam intactarum reliquiarum Tumba Gloriâ Olympi Canonizatam, tubâ canit. Et ecce Immortalitas *SOBIESCIORVM?* Quidni & *PRINCEPS IACOBVS* etiam in feretro sine morte vivat, cum tantam immortalitatem peperit. Hic est IACOB; quem extremô sopitum Lethargô ne dixeris? currens utpote de hac Bersabee, ad Sanctiorem Siderum Haran, in lapide soporatus decumbit, quem si alloquereris, surge IACOB? & ambula, evigilaret de somno, nisi Scalam cacumine Cælos tangentem, scandulis Virtutum suarum graduatam, Angelos ascendetes, & descendentes, ad inferendam astris animam, Salutare suũ revolvens, tua repudiaret dicta. Hic est IACOB: qui vitam vivere cæpit profectò duplicem, alteram in vestris relinquens cordibus, non invitam, alteram invitatus ad superna inter ambrosias Divûm inhoans. Cujus Tumbam si respexeris? quæq; lampas oleô ejus Sapientiæ lucet, si accesseris? ungventa Virtutum turgent, si odorem traxeris, mira Sanctitatis Myrrha fragrantiam reddit, ut hanc Basilicam novam Compostellen dixeris, inqua alterius *IACOBI* Sepulchrum refulget. Prætereo hic plura Virtutum Ejus prodigia silentiô, Tacebo toleratos anfractus cum belligerante PARENTE suo, ubi majori ducebatur respectu Patriæ, quã privatæ voluptatis, dum non sub Augustis Propylæis ambitiosa fumosarum imaginum ostentatione distinctis, sed orbium Supernorum injurijs, non in otio domestico, sed in labore hostico, non ad mensam cùm Apolline, verùm ad stagna & rupes cum Marte, non in venationibus cum Augusto, piscationibus cum Pericle, sed in pulvere Olympico cum Trajano, in ludicris cum Bellona in certaminibus & conflictu, per integros teneritudinis annôs consumavit. Prætereo Clementiã *PRINCIPIS*, Cui innatum erat detestari, mile-

tos

ros premi, quinimo etiam non quærentium movebatur malis, erga omnes solicitus, nec magis opem inopibus afflictis Solatium, depressis juvamen negare poterat, quàm vel fons turgentibus fæcundus venis, undas haurientibus, vel Sol commune Orbis beneficium, qui sponte sese ac non poscentibus offert, adeoq; morā odit in munere conferendo, ut plerumq; dormientibus oriatur. In Senatu Quiritio Regū se Consessum Cyneas olim coram Pyrrho Epirotha dixit. Animum *SOBIESCII* Senatū ego Capitolinô majorem nominaverim, in quo Majorum Ejus facies tam Augusta colebatur, acsi tot Regum, quot *ANTECESSORUM* Sangvinis sui Consessum præseferret. Atria Scipionum, Metellorum, Cæsarum, avitis olim imaginibûs plena, Atria tantùm fuere, sed non Virtutum Augustalia. At PRINCEPS *SOBIESCIUS*, delibuta hæc vestibula nunquam ambivit, nunquam reseravit, nunquam toto Apelle in id laboravit, ut in lineamentis Vultuum priscas effigies ostentâsset. Viva omnium Idea, Anima, Spiraculum, vixit, in quo si Iovis Conclavia Delphicis venerabiliora recluderes, perfectitudinū sedem, Splendoris, apparatus, medullam dignumq; Principe animo Thronum revelares. Cæcum ut libet formaverit erudita Antiquitas amorem; Certè in *PRINCIPE* Nostro amor Reipublicæ Lincæus fuit: perspicax, providentissimus adeo: ut cum nemo Sequentium satis prudens, totusq; callidus esset, Hic magnæ Heros indolis, etiam tempus præcurrere voluit, & fatis haud dubiè malè nobis cogitantibûs (vel exinde quod Consilia ejusmodi tardaverint) præstruere viam præpediteq; curavit. Porro tam Augustum, tam solicitum Principatûs negotium, destinatione Superum Hic *PRINCEPS SERENISSIMUS* suscepit, ea animi magnitudine, quâ fatis & votis omnium responderet, adeo ingentibûs ausis, faustisq; successibûs, ut spem de se conceptam absolveret, superaretq; ad stuporem ævi præsentis exemplum, venerationem, vel invidiam posterorum. Exquo nimirum boni Superi, illum rebus Sarmaticis admoverunt, illâ temporum calamitate, cū Oriens ingentes Asiæ Gygantes, totamq; Rhodopen ferrô & igne, nos contra armavit, fuit rebus No-

stris

ſtris Stator Iupiter, & eam prodigioſam Orbis Gygantonomachiam, Cælis & terris inimicam Clypeo & fulmine ſuo repreſſit. Vicit Gentes immanitate barbaras, numerô infinitas, multa ſtrage deformes. Oſtendit Orbi, immobilem Tyrannum Orientis Polonâ virtute loco moveri vinciq; poſſe, cui inuſitatum erat terris illis credere, quas ſonipedis ſui ungulâ tetigiſſet. Magni olim Agamemnonis voto decem Neſtores poſcebantur. Hic unus PRINCEPS SERENISSIMVS propugnandæ Viennæ ſuffecit, Auſtriacis Pannonicisq; Triumphis tantò illuſtrior, quantò certiùs rem illâ tempeſtate pro Deo egit, pro vindicijs Sociorum, ſalute tot Gentium, & Orbis Chriſtiani libertate. Atq; hic ego, quot in unius PRINCIPIS Tumulo virtutum cladem video: tot admirationes pario! Tantæ magnitudini! quomodo ultima linea rerum, punctum fecit! quomodo adoratum Orienti Caput, in vaſtis cogitationibus deprehenſum crudeli falce Libitina demeſſuit, proſtravitq; ! Cæterùm: actum eſt benè, & malè Arbitriò fati. Male nimirum de noſtra vita: quia in ſtamine *SOBIESCII PRINCIPIS* prærupto, proximè arduum Mortis reſolutura nodum, teminumq; ſine Scuto nuda, & in erimis paſſura feralem. Bene de *IACOBO PRINCIPE* Sereniſſimo: quia cui Sublunaris in Coronam non ſuffecerat Orbita, huic incomprehenſibilis Regni Gloriæ ceſſiſſe debuerat Circulus, quem virtutum immortalitas à mortalibus in vita diſtinxerat, hunc Immortales Dij ad Conſortium ſuum invitârunt juremeritò. Vos tantum æternam congratulemini Salutem IACOBO SOBIESCIO, Cui SCVTVM fulget,

Immortalis præſidiô vitæ donata

REGIA TVMBA.



MONVMENTVM GLORIÆ

SERENISSIMO PRINCIPI.

Hic

Nomen IACOBI, (Salvatoris ad Viennam) situm reperies,
Qui remigiò Aquilæ satis per Aera vectus,
adhuc Regiâ experientiâ Antipodas ventilare ratus.

Iupiter Sauromatum:

in Culcitra ablactatus invictissima,
Patrium adorientes Olympum Telluris Iuvenes,
Solus cum fulmine aggressus mortis.

Bellonæ Mavors:

ab Aurora Ortûs sui globîs tantùm annonâ belli nutritus;
cum ingravata plumbô Natura deorsum tendere debuit.

REGIVS (ut ita dicam) PVPILLVS:

Cujus Serenissimam Lucinam cũ in Sociã adoptassent Superi
infantem senectutẽ Matri Terræ ad lactandum concredidit.

Regia Civitas:

Ne absconderetur cum Protectore Recursuris Asylo,
Ecce super montem Cenotaphij posita!

Regium Aurum:

Inter Gradivi Vulcanias multoties coctum,
in marmore Libitinæ suum valorem probat,
quantô posteris sæculis pretiô æstimandum.

Purpuratus Nobilis:

Cujus Regnum cum non de hoc mundo esset,
abijt in Regionem Longinquam quærere illud.

More Ægyptianô exclamaverim,

Ollus Letho datus est Terrestri!

Cujus brachium Athlantisare natum:
ut Polona Regna

portentô in profundum chasmate hausta,
adhuc ab imis levaret.

Sol Serenissimus:

Impertito Lechiæ in factis & tædis fulgore:
Totus inter Calvarios Montes occidit,
ne Luna Othomana,
Splendorem quem ad Viennensem oppositionē ecclypsata a-
habeat ampliùs unde capiat. (misit,

Regale Pomum,

De Ligno Salutis Polonæ natum,

IOANNE III.

ut absumpta in pomo Vita, à morte per Pomū repeteretur;
vetitum: ultro decerpi voluit.

Arca Iovis:

Cum Deposito Virtutis, & Gloriæ Sarmaticæ:
Archivo ferocis inclusa Libitinæ,
ne hostilis Invidia diriperet: quod Gentibus ratum,
& sanè avarum.

Sinopsis Regiarum Virtutum.

Virtute genitus, Naturâ ejusdem vixerat:
fame nēpe virtutū, Virtutes comedit, & Virtutibûs decessit.

Mirare bifrontem Prudentiam:

quòd Nullus Voluptatum, Numismatum & Gloriæ Fautor,
Philantropos apud Socratem, sive humanus dicatur:
ne Naturam Promethæum redderet Deo,
ad ubera terræ cum vita, ceu Embrio redijt;
humanitatem conservaturus in humo.

Mirare Temperantiam:

Divitiæ cum non sint (ex Epicteto) de numero bonorum,
satius in lapide vermibûs ad vitam pasci,
quàm in Aureo Thalamo ad mortem nutriri optavit;

Anacharsicum imitatus:

mi;

mihi sit pulpamentum fames, Cubile solum,
Vestis Scytharum tegmen: idest: SCVTVM natale.
Mirare Fortitudinem:
Quia impar acies Phæbo Regio, cum feudataria Orientis
æmulari amplius Luna:
Atroces Bellerophontis adorsus tenebras:
Cui ne dixeris, popularibus Parcarū telis solē eiū obūbrari,
nam Leonidæ provocabit Ironiam,
Gratum, (inquiens) quòd sub umbra pugnabo.
Mirare Iustitiam plusquàm in Iove,
Ille tantùm Themidem in Conjugem duxit,
ut peperisset Horas,
Eunomiam Præsidem Legum, Iustitiamq; & floridam Pacē:
Conditor nempe non exemplar.
Hic Tonans Sarmaticus,
adscitâ Consorte sibi Themide, dum Author in vita Iustitiæ,
etiam exemplô sancita docet exsolvere Legum,
quando Statutum: hominibus mori,
Regiô homagiô subire non erubuit.
Disce Pietatem.
Semotis Vitæ curis, Sacrario se æternùm contulit,
ut momentis, à monumentis Regali Solio
Thronum adoraret Christi.
Disce Pudicitiam.
Non satis ei verecundiæ à Purpura,
ut se pudicum servasset ab impudicis,
insuper umbraculô Mortis obvelavit oculos,
ne unquam videret vanitatem.
Disce Clementiam.
Satis senescente Orbe in populo maturuerunt vitia,
ut nonnisi in Cervicibus demeti digna;
& ecce ubi rigor effervescere svasit Iustitiæ,
ibi frigidô sepulchri saxô lenit accensa cordolia.
H2 PRIN-

PRINCEPS mansvetudinis.

Disce Munificentiam,

Non suffecerat ei ad liberalitatem indies dispensare bona,
totâ sese abdicavit fortunâ;
usq; de Regio sui Archivo
Polonæ, Parthenonũ, Tẽplorũq; egestati diu succurrisset,
Solus brevi contentus Vrnâ.

DisceAmorem erga Lechiam.

quã justè Numẽ Amoris sub Typo pueri, cæcũ, & nudũ creditur?
dum ut auxisset canescentis Patriæ myriades PRINCEPS
annos Virilitatis sibi sustulit, ei consecravit;
Solus adeo parvulus effectus,
ut tantùm dignum cinere puerum sese reputaret.

Claudere, & excæcare supercilia maluit,

ut attritam ignibûs, & pulvere belli Lechiæ pupillam,
oculato sui lumine acutiorẽ visu reddidisset,

Nudus adextremùm factus,

linteô tantùm sese contexit firmatis
Regium relinquens apparatum,
ut nuditatem spoliatæ calamitatibûs Sarmatiæ cooperuisset.

Nempe: Ille Ille!

Qui semper vigilavit, nunquam dormitavit,
hìc sopitus,
Qui nunquam quievit, semper terrîs & altô jactatus,
hìc Caput ad quietem composuit.
Qui semper sub Iove gelido frixit,
ad Pyras & Rogos fatales sese calefacere descendit;
Cui omnes in trophæa cesserunt Coronæ:
ad complementum;
ut Invictissimus probaretur Victor,
extremâ Cupressi laureâ circumambi-curavit.
Cui: dum Vitæ militiam gloriosè expedivit,
Triumphum Immortalis gloriæ
quisquis es, exopta.

MO-

****

MONVMENTVM GLORIÆ
SCVTO SOBIESCIANO.

Hic jacet
compositum in Vrnam SOBIESCIO SCVTVM:
ut Quem Orbi intactum servaverat:
Eundem Olympo fatis non lædendum protegat.

Hic Clypeus servatus,
qui ferream hostibus fovebat Progeniem,
& dum satis pectora à vivo hoste muniverat IACOBI;
nunc: quia mors à tergo insultare didicit,
brachia Ejus obarmavit.

Gentilitia SOBIESCIORVM Cunabula;
quæ: quoniam nisi efficiantur mortales sicut parvuli,
non intrabunt in Regnum Cælorum:
ut testarentur infantiam regenitam PRINCIPIS,
eidem iterum in Sinum Abrachæ invitato,
in Cunas abierunt.

Pelta Cælitùs delapsa;
Cui, dum fata & salus Polonorum concredita;
ne inventu facilis, furtoq; Barbarorum exposita esset,
non jam Martis (ut olim) sed Mortis Sacrario asservata:

Ancyle ad prælia natum:
siquidem Heroës Lucis in sublunaribus inducias habent,
impatiens otij, ad tenebras Aantipodarum sese contulit,
Saltim lippientes ut reperiret Andabatas ad pugnam,
quibus vinctis superciliis in caligine decertare Solemnitas;

aut æmula Ariorum SCVTA:
quibus nisi atra nocte vibrare aciem concessum.

Hic Armamentarium
SOBIESCIANÆ Ægidi constructum:
Quæ, quia Sacris in Officina Superùm manibùs elaborata,
nonnisi ad Sacrum Templi parietem appendi debuit.

Verè Munimentum Ararum,
Propugnaculum Fidei,
dum ut securiorem ab hoste redderet Ecclesiam,
intra limina ejusdem se se cum Præsidio locavit.
SCVTVM plusquam Marsorum,
quod in brevi prolixitate, Decumanam gessit superficiem!
Hoc: et Neptunus (Græco more) insigniverat;
nam remige fama Pontum tranavit Scythæ
et Minerva (Trojano usu) ornaverat,
nam hastatos contrivit toties Borischenidas:
et Vlysses (Delphina lege) decoraverat,
cum ei satis erat contra Lapithas Odrisiæ Lunæ
una vibratio.
et Agamemnonis praxi, Formido capite
Leonino ambiverat,
equidem Reginâ Audaciâ, Principe robore,
in Adorationem suam
cornutam Orientis Phæben inflexit.
Hinc ergo,
inter fumantes nitrosæ Bellonæ denigratum ignes,
ut se fucato revestisset squallore,
arenis Tumuli, fati cineribus,
se se expoliendum commendavit.
Quod dum interim
suo Heroi in TVMBAM obsequenter abijt;
utere quis quis es Pristino more,
Hanc urnam Mavortiam,
precantibus tange labijs & Sepulto perennem
adaugebis Gloriam.

MO-




MONVMENTVM GLORIÆ
PVRPVRÆ SOBIESCIANÆ,
Hic Viator
Purpuram adora in Pegmate,
quam pro Sirmate commutavit SOBIESCIVS,
discens ab Eo:
quòd sub quotidiana Anaxyride ne torpescat humerus,
pro Principum Iride, etiam pullatam byssum licet sumere.
Hæc Purpura,
Dominationibus terræ serena risit facie semper;
et si rubente Solem Serenissimum obduxit Corona,
nonnisi ut aureos minatus fuisset imbres:
Hæc in Rubore cãdida, incãdore solida,
et satis in vita sine contagio pura prominuerat:
nisi quia ad ardores bellicos sudoribus perfusa, & obscura,
igitur ad Eridanum Cælestem lavari properavit.
Hæc PRINCIPEM Rubicundum fecit,
adhuc Eburnea, ut totum candidum Deo ostenderet,
& sic dignum sponsâ Gloriâ Dilectum redderet:
morte impallescere; inter Marmoris pruinas dealbari abijt.
Hæc cruore hostili totam fimbriam tinxit:
& nunc ad oppositum stetit pallorem,
ut meliùs judicaret Orbis, quã benè Gothico sãgvine erubuit.
Hic Dibapha veneranda Thronô,
quæ dum inter Chlamides, Murices, & Laticlavos,
Sola Virtutum coccô bis tincta; (Cæli.
ergo ut Principibus præesset terræ, ad Principatum vocata
Vestis Triumphalis,
plusquàm ab Hostilio & Balearibus excogitata:
quæ adeo Phrygiata, & Palmata, Scutulata, & Clavata,
ut Trabeæ Capitolini Iovis non jam similis,
sed Regis Regum brachiô inveniretur digna.
Cui: quis quis es,
hanc immortalem gratulare famam. MO-

****

MONVMENTVM GLORIÆ
CORONÆ SOBIESCIANÆ,

Hic jam Stirpis Serenissimæ
in Sacris Deorum pulvinaribus quievit CORONA;
quæ olim attendens integritati Lechiæ,
à solicitatione Regalis Capitis nunquam requievit.
Nempe:
ut Throno Mystici Agni popularior resultaret honor,
Apocalipticis Viginti quatuor Seniorum Coronis,
à Seniore Principum Polonorum
in perpetuam adorationem hic adjecta.
Perennis Famæ Circulus:
qui Celsitudine sua immortalitatem excedens gloriæ,
nonnisi Immortalitatis centrô terminari potuit.
Hanc Coronidem
Heroicis claré-gestorum trophæis partam crediderisè
hinc jure merito usu vetustissimo,
à Pervetusto SOBIESCIORVM Heroë, pro munere gratô,
Tonanti bellorum Iovi ad Sacrarium dedicata.
Hoc Diadema,
Præter idioma Caligulæ, etiam ad Ideam Solis, et Lunæ,
fabricatum fuisse crede: quô claruit Polonia:
hinc, idoneum sibi in sublunaribus non habens Cælum,
Volubile: inter siderea Astra nnmerari petijt.
Verè Corona de lapide pretioso.
Cùm beneplacitò Superû de cæsarie Aquilæ Lechicæ assûpta;
ut Aquilam magnarum Alarum Coronaret.
Nempe Polona Majestas;
dû eâ Pyropis Virtutû ornatissimâ, vacare Fascibûs permisit;
hoc: Regnum non patitur Gloriæ,
igitur eandem Cælestis Reipublicæ Coronatricem,
& Imperatricem elegit:
Cui: quis quis legis, precibus applaude.

MO-



MONVMENTVM GLORIÆ
SOBIESCIANO SCEPTRO.
Hic Sceptrum

Quis quis inter Imperia mortis adoras,
de manu PRINCIPIS ablatum ne dixeris?
nonnisi Pharnacorum Scyrpus, Antigonum Thyrsus,
herbosa Regum Insignia,
falcis capacia, non de puro Virga metallo.

Nempe:

quia hâc Oriens sangvinolenter toties cæsus Bizantinus;
unde hostili cruentata tabo
inter lachrymantes Nænias abluitur,
Aureaq; Ossibûs Mortis ad splendorem expoliri tradita.

Hic Regia Iurisdictio,

quæ Exoticam Arietis bellici pertinaciam
cēu Betulla Carthaginēsis bene ad mansvetudinē plagaverat,
insolentes Animos ad modestiam puniverat,
Recalcitrantes Iustitiæ, ad obedientiam castigaverat:
Cujus Potestas dum tandem in suspenso detenta,
complevit Prophætæ effatum: Subijciam vos Sceptro meo:
dum sese transtulit ad Thronos Olympi,
ut cum Dijs regnando
desuper Regimen totius Orbis teneret.

Hic pulvinar Regali Scipioni,

Cujus sūmitas abjectos Hyppopotamos Priscorum nōportavit,
solius Reginæ Volucrum Gestator:
quam adeo honorificè gestasse de Cælis visus,
ut ad portandam Grandem Aquilam promoveretur.

Scilicet: hoc Sceptrum

de manibus erat solius Regnatoris Iovis concessum;
et dum illi pares decedunt

Tonantes SOBIESCII,

Ergo ad dexteram sui transfertur Iovis.
Cui: quis quis ades, felicem precare transitum.

K Habes

****

HAbes igitur Serenissimum de Regibus Germen Monumẽta ad Tumbam Gloriæ. Habes præter phaleratos Principum apparatus, posthumas famæ Pyramides, Obeliscos Trophæorum, Colossos Immortalitatis in fimbris excitatos cordium. Habes non de sex Dictatoris Syllæ millibus Procerum, no nde sexcentis Marcelli Præsulibus, conflatam Funalium Pompam: ubi plenus Sauromatum Comitatus, ad ima Cæsarie demissa, fluitante supercilio, laniatis jubarum cristis, totusq; pullatus, Senatorió Feretrum subit humeró. Vbi galeati Equites sonipedum ilia suspendunt, ludos hastatiles evibrant, Pyras cupressis incendunt. Si Tripos famæ evidentiâ probat, collectas Volucrum acies ad exhalationem Arabum Phænicis, superstitesq; cineres convolare. Habes PRINCEPS Serenissime ad exuviarum Tuarum Inferias, squalidos luctuq; effusos Divinioris Sapientiæ Phænices, habes Celsissimos cum Tubarum ejulatu Alites, habes adgementes Cineribus solitarios Passeres, Tuis educatos Tectis. Transeat in apodicticum: Lacidi Philosopho inquilinum adhæsisse anserem fidis in vita obsequijs; elatumq funere effusis lachrymis sepelisse. Adest ad Tumbã Tuam Regum augusta Propago, inquilina Sarmatarum, Iovisq; Aquila, quæ Te sinu ablactatum suo inge miscens complorat. Adsunt cuncti tibi fidi Olores Poloniæ, Parentalia Tui concinentes. Adhuc documentum in suspenso: relatum inter Astra Phænicem duodenâ stellarũ coronâ redimiri. Te Raritas Mundi verior PRINCEPS Serenissime: in facie Orbis bis Duodecem Primæ Magnitudinis sidera coronant, innumeriq; plebis ambiunt Circuli, qui Te tam amaró exoptant studió, quàm dulci amarunt, tantùm torquentur absentiâ, quantùm oblectati præsentiâ: hoc unicum Omnibus lenit dolores, quod Te Virtutum summam, Gloriæ Tesseram vinclis solutum mortalibus optatæq; Immortalitati restitutũ videat: quã Tibi effusis gratantur precibus ad quietem sempiternam.





